

1600

nibus licet Henricus sibi adjecisset, cuncta facillime, regiis co-
piis advenientibus, recuperaturum, atque ad majora aditum
facturum. Carolus qua imminenti periculo, qua fallaci ac du-
bia spe circumseptus, variis curis conficiebatur; se vel Gallo-
rum jugum subitum, vel penitus in Hispanorum potestatem
concessum; æque utrumque intolerandum veritus. Neque cu-
piditas Salassiis potiundi sanioribus illum consiliis uti sinebat,
quamvis eodem tempore & Gallorum potentiam, & Hispano-
rum ambitionem ferre cogeretur, qui jam tuendi illius ob-
tentu, in Carmaniolam, præcipuam Salassiorum arcem, præ-
fidia imposuerant, copiasque in Subalpinos traduxerant.

Eo statu res Caroli erant, ejusmodi Henrici prospere even-
tus, ut brevi allapsurum Italæ propinquum incendium videre-
tur; cum Clemens, in pacem publicam summo studio incum-
bens, ac si res ulterius procederet, in communem hostem con-
silia conatusque abruptum iri animadvertis, christianæ reipu-
blicæ causam summo animi ardore amplexus, ut inter Henri-
cum & Carolum pax fieret, enititur; quodque, Byzantino Patri-
archa admittente, nequiverat, per Petrum Aldobrandinum,
Cardinalem nepotem, experiri statuit. Itaque illum summa cum
auctoritate Legatum ad Regem mittit, qui belli initia oppri-
mere, conjungere Henricum & Carolum conetur. Per Offredum
Offredum, apud Rempublicam Internuntium, perque Joannem
Mocenicum, ejusdem Reipublicæ apud se oratorem, Senatui sua-
det, ut, qui difficillimis temporibus pro publica pace ac tran-
quillitate Italæ excubare solitus sit, nullum officii genus cum
Rege prætermittat, quo illum ad pacem traducat. Senatus con-
fulto Francisco Contareno, apud Regem legato, ac Marino Ca-
ballio, qui ei successor datus fuerat, mandatum, ut Henrici
animum permollire, atque ad amplexandam concordiam fle-
ctere conentur.

Aldobrandinus Roma digressus, Augustam Taurinorum pro-
ficiuntur; cum Carolo de præsenti rerum statu agit; inde Lug-
dunum ad Regem contendit; nihil relinquit, quo dissidentes
Principum animos conciliet. Inter hos vel belli prosperos even-
tus, vel pacis concordiaeque disceptationes, Mariam Mediceam,
Francisci olim Magni Heturiæ Ducis filiam, Henricus despon-
det; Alincurtiumque, Villaregii filium, qui sponsam recipiat,

in

Petrus
Aldobran-
dinus Car-
dinalis a
Pont. lega-
tus de pace
ad Henri-
cunmissus.

Senatus
mandata de
pace ad Cō-
tarenium &
Caballium
oratores.

Henrici
Regis cum
Maria Me-
dicea nur-
pia.